

ideo sensum aurium excedens tantae molis rotatae uertigine adsidua sonitus, non equidem facile dixerim, non, Hercule, magis quam circumactorum simul tinnitus siderum suosque uoluentium orbis an dulcis quidam et incredibili suauitate concentus; nobis qui intus agimus iuxta diebus noctibusque tacitus labitur mundus.

Esse innumeras ei effigies animalium rerumque cunctarum inpressas nec, ut in uolucrum notamus ouis, leuitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dixere, terrenorum argumentis indicatur, quoniam inde deciduis rerum omnium seminibus, innumerae in mari praecipue ac plerumque confusis monstrificae, gignantur effigies, praeterea uisus probatione, alibi ursi, tauri alibi, alibi litterae figura, candidiore medio per uerticem circulo.

(4) Equidem et consensu gentium moueor: namque et Graeci nomine ornamenti appellauere eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum. Caelum quidem haud dubie caelati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. Adiuuat rerum ordo, discripto circulo qui signifer uocatur in duodecim animalium effigies, et per illas solis cursus congruens tot saeculis ratio.

IV. (5) Nec de elementis uideo dubitari quattuor